

## R. P. Henricus Harbison (1820-1888)



Henricus Harbison, in oppido Moneymore archidioecesis Armagh die 1 Dec. 1820 natus, ab ineunte aetate ardens sacerdotii desiderium fovebat, motus ambitione quadam sancta, restituendi scil. in Hibernia Ecclesiam catholicam ad pristinam gloriam et fervorem; nam poenae saevissimae olim contra religionem nostram statutae, quamvis fidem populi non destruxissent, tamen documenta gravia religioni infixerant. Idea illa erat in vita eius quasi stella clarissime micans, cui dona mirabilia a Deo collata, ut acumen intellectus, memoriam tenacem, mores suavissimos,

animi ardorem devovebat; atque ad hunc finem primum studia et postea labores apostolicos generosus direxit.

Henricus, cum ad Nationale Collegium Ecclesiasticum Maynooth venit, eito illum honoris locum consecutus est, quem semper per octo annos retinuit; in classe nempe centum studentium unus e quinque primis semper erat. Iam in hoc Collegio vis eloquentiae in eo manifestari coepit; quocirca, cum clarissimus vir Daniel O'Connell, Liberator patriae ac Vindex Emancipationis Catholicae, Collegium a. 1846 visitaret, missionarius noster futurus e sexcentis studentibus electus est ad orationem habendam, quae oratio laudes omnium effrenatas elicuit.

Scientia autem Sanctorum minime ab Henrico negligebatur. Dixit quidam eum litteris incubuisse tanquam semper victurum, sed vixisse tanquam cras moriturum. Collegium Maynutianum ingressus cooperat scribere ephemeridem seu commentarium spiritualem, quem morem dein usque ad extremum vitae continuavit. Hoc in commentario virtutes colendas diligenter notabat, atque ibi invenimus contractum cum omni sensu corporis initum circa tempus introitus in Collegium, ne Deo unquam displiceret. Notabat quoque omnes in exercitiis piis distractiones peccatum delibera-  
rat sapientes, ut corrigerentur. am Iprius quam in Congregationem

venit, signa virtutis quasi heroicae dedit, e. g. cum primus inter alumnos ultro se obtulit ad Missionem perdifficilem insulae Tasmania.

Post ordinationem sacerdotalem (7 Martii 1847) aegrotis sublevandis, mortuis sepeliendis iuvandisque esurientibus maxime adlaborabat; erat enim tum fames in terra. Gravi morbo contracto in eo erat, ut vita excederet. Viribus recuperatis de religioso statu capessendo cogitare coepit. Occasione missionis a Redemptoristis a. 1853 praedicatae cum iis consilium iniit atque tandem pro certo habuit se ad Congregationem nostram a Deo vocari. Egregius sacerdos cum gudio a Superioribus exceptus est, populus autem paroeciae, auditio hoc proposito, dolorem lamentationibus expressit.

In novitiatu Trudonopoli in Belgio transacto omnes virtutes statui nostro necessarias ardenter colebat, speciatim quatuor: humilitatem, mortificationem, orationem atque conformitatem cum voluntate divina, quae omnes ex vivo fidei spiritu oriuntur. De his virtutibus possumus nonnulla eius dicta vel facta introducere. In quadam epistola post professionem scripsit: «Oremus pro invicem, atque alios roga ut orent pro me, qui sum maximus in Hibernia peccator.» In aliis quoque scriptis suis se exprimit verbis sui contemptus ex intimo corde egredientibus. Ut Regula monet, vere quaerebat *in contemptibus, in humiliationibus Iesu Christi sibi complacere*. Erat amator mortificationis, et in ultima aegritudine solius medici praeceptum eum a iejunio quadragesimali servando retinuit. Teste eius confessario donum orationis in gradu eminenti habebat. Omnis vitae dies ei vere erat dies orationis. Denique in omnibus operibus apostolicis, in servandis Regulis et Constitutionibus atque ipsis Superiorum desideriis unice quaerebat implere divinam voluntatem.

Vota professus d. 7. Jul. 1854, breve tempus in Anglia, sed iam a. 1855 domui Limericiensi adscriptus est. Ex eo tempore nomen Patris Harbison ut missionarii insignis in Hibernia divulgabatur. A. 1859 Superior missionum electus, hoc officium usque ad mortem retinuit. Nulla re magis gaudebat quam missionali opera; sed in eo studium animarum salvandarum, quamquam constans et generosum, tamen bene ordinatum erat. Libentissime laborabat pro animabus ope spirituali omnino destitutis. Saepe dicebat missionem, in qua vel unus peccator non converteretur, solum ex parte habere exitum felicem. Quamvis ipse esset viribus corporis et donis ad praedicandum Evangelium extraordinariis praeditus, tamen potius in oratione confidebat. Triginta tribus annis vitae missionalis 176 missiones et 51 secessus sacerdotum et 207 alias cursus exercitiorum spiritualium praedicavit.

Loquendi modus in eo erat valde popularis et gratus audientibus. Visu quoque erat iucundus et habitu decorus. Thema orationis introducebat dul-

cedine unctioneque, ita ut omnes ficeret attentos et dociles, sed progre-  
diens in doctrina explicanda argumentisque probanda paulatim maiorem  
vehementiam manifestabat. Ingeniose refutabat omnes peccatorem obie-  
ctiones eosque ad mores reformandos alliciebat. Prinsquam finem dicendi  
ficeret, vulgo regulas practicas vitae asceticae tanta vi et eloquentia in-  
dicabat, ut omne cor ad Deum traheretur.

Confrater quidam, qui saepe eum praedicantem audivit, sequentem re-  
liquit descriptionem: « P. Harbison in peroratione vel parte ad affectus et  
proposita sincera elicienda maxime excellebat. Tunc verba eius fervore  
quasi ardebant, vox contremiscebat, oculi micabant, motus erant vehemen-  
tiores, habitus totus interiorem ad animas convertendas salvandasque af-  
fectum p[re]se ferebat. In conclusione contionis semper ad teneros af-  
fectus movendos se convertebat atque actum contritionis tam impense eli-  
ciebat, ut omnes copiose lacrimarent. »

Verba huius insignis missionarii etiam hodie, post quinquaginta annos,  
in eorum qui audiere memoriam facile veniunt. Fructus autem erat mira-  
bilis; nam odia inveterata destruebat efficiebatque, ut bona furto ablata  
restituerentur, peccatores Deo reconciliarentur, virtutesque maxime deside-  
rables in paroecia colerentur.

P. Harbison clare intellexit opus missionis bona contione solum inci-  
pere, fructum vero ipsum postea in tribunal poenitentiae percipi. « Pos-  
sidebat », scribit de eo auctor vitae eius, « in gradu eminenti omnem  
scientiam et omnia dona necessaria ad moderatorem conscientiae optimum  
constituendum. Erat pater benignus, qui peccatores cum affectu intimo  
et laetitia sincera recipiebat. Etiamsi poenitens esset peccator omnino  
abiectus, etiamsi casus videretur esse desperatus, P. Harbison pacem ani-  
mae restituebat. Verum semper nitebatur, adferendo remedia efficacia ad  
exstirpandam causam et originem malorum, ut peccator sanationem inte-  
gram consequeretur. Nisi potius rigor erat necessarius, tam benigne cor-  
rigebat, ut poenitens vere gauderet. Praeterea adlaborabat, ut poenitentes  
in praxi virtutum perseverarent. »

P. Harbison mortuus est d. 8 Oct. 1888, tum Rector domus Dundalk,  
quam domum pulcherrimam duodecim annis ante, superatis maximis dif-  
ficultatibus, fundaverat. De eo licet repetere verba a Christo Domino de  
Praecursore dicta: *Ille erat lucerna ardens et lucens* (Io. 5,35), et huius  
lucernae splendor nondum extinctus est. Reliquit nomen perenne, quod  
significat genuinum spiritum S.P.N. Alfonsi, solidam virtutem, amorem  
Congregationis, devotionem erga sacratissima nomina Iesu et Mariae,  
zelum ardentissimum successumque missionalem hand communem.